

# OPERUM S. PETRI DAMIANI

IN EDITIONE CAJETANI

## TOMUS QUARTUS

COMPLECTENS

### CARMINA SACRA ET PRECES.

### PRIVILEGIUM PAULI PAPÆ V.

PAULUS papa V dilecto filio CONSTANTINO CAJETANO, Syracusano, monacho sancti Nicolai de Arena Catanensis, congregationis Casinensis, ordinis sancti Benedicti.

Dilekte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Cum tu, sicut accepimus, Opera B. Petri Damiani S. R. E. cardinalis, episcopi Ostiensis, editurus sis, quæ non sine ecclesiasticarum litterarum detrimen-  
to in tenebris varie disjecta jacebant, tuaque laudabili opera, labore et diligentia, una cum aliis compluribus ecclesiasticorum scriptorum monumentis ex multis bibliothecis conquisita et collecta fuerunt, et idcirco fel. record. Clemens VIII prædecessor noster, studio bene merendi de republica Christiana et apostolica sede, cuius nobilis pars egregius hic doctor extiterat, Romam te vocaverat; nunc vero, aspirante divina gratia, primus tomus absolutus sit, ac tres reliquos te editurum propediem spares; nos, qui doctas piorum et eruditorum hominum lucubrationes complecti pastorali charitate tenemur et studia hujusmodi promoveri in Domino exoptamus, ut tam primus horum Operum tomus jam typis excusus, quam cæteri cum excudentur, sinceri et emendati prodeant, neque cujusquam incuria aut fraude adulterari vel labefactari possint, MOTU PROPRIO, ET EX CERTA NOSTRA SCIENTIA, omnibus et singulis Christi fidelibus, præsertim librorum impressoribus, ac bibliopolis quovis nomine nuncupatis, tam in Urbe et in universa ditione et locis S. R. E. mediate vel immediate subjectis: sub quingentorum ducatorum auri, cameræ apostolicæ applicandorum, nec non amissionis librorum atque typorum, quam etiam in tota Italia, et extra eam ubivis gentium et locorum constitutis, sub excommunicationis majoris latæ sententiæ pœnis ipso facto absque alia declara-

A tione incurrendis, auctoritate apostolica, tenore præsentium interdicimus et inhibemus: ne per quindecim annos a data præsentium computandos, primum to-  
mum Operum B. Petri Damiani a te editum, et alias singulos a te edendos, dummodo omnes a magistro sa-  
cri palatii approbati sint, per totidem annorum spatium ab uniuscujusque eorum editione numerandum, absque tua licentia imprimere, aliòve titulo vel forma, quo-  
vis prætextu mutatos, vel alio quocunque idiomate  
versos edere, vel sic editos vendere, seu venales habere audeant vel presumant. Mandantes univer-  
sis et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum ordinariis, legatis, vicelegatis, gubernatoribus, potes-  
tatis, et aliis officialibus, ut quando et quoties per  
B te vel tuo nomine fuerint requisiti, præmissa contra inobedientes exsequantur et observari faciant, invo-  
cato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sacerularis. Non obstantibus constitutionibus et ordinationi-  
bus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus, jura-  
mento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis quomodolibet conces-  
sis et confirmatis. Quibus omnibus illorum tenores, ac si ad verbum insererentur, præsentibus pro ex-  
pressis habentes, pro hac vice duntaxat derogamus,  
cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut præsentium litterarum exemplis, etiam in ipsis voluminibus impressis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die xvii Augusti 1606, ponti-  
ficatus nostri anno secundo.

Scipio COBELLETIUS.